



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

14. 15. Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi super montem  
posita.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

12. *Quoniam merces vestra copiosa est in caelis.*

**C**ATHOLICAE Ecclesiae doctrinam de meritis operum ex hoc loco euidenter stabilitam, suggillat Calvinus his verbis. Merita bonorum operum.  
*Quod Papistae in nomine mercedis ludunt, nullo negotio hic fucus diluitur. Neque enim, ut somniant ipsi, mutua est relatio inter mercedem & meritum, sed gratuita est promissio mercedis. Deinde si reputamus quam mutilum sit ac vitiosum quicquid bonorum operum etiam ab optimis procedit, nullum unquam opus inueniet Deus mercede dignum. Hæc ille. Sed huic duplici cauillo facillè responderetur. Est quidem promissio Dei gratuita; promissione autem semel facta, retributio non est gratuita, sed debita: non quia nobis Deus aliquid debet, sed quia eius quod gratuitè promisit, debitor factus est, & seipsum negare non potest. Iustorum opera in pura charitate facta, maximè tolerantia persecutionis pro fide, de qua Christus hic loquitur, non sunt vitiosa, sed mercede digna, quatenus à Spiritu gratiæ proficiscuntur, & sua dona coronat Deus. Vide plura in opere nostro de iustific. lib. 11. cap. 3. & seqq.*

14. *Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi super montem posita.*

**E**X his verbis in hunc modum colligunt Catholici. Si Ecclesia est lux mundi ut homines ab ignorantiae tenebris ad fidei lumē traducat, ergo visibile corpus est, nec deleri potest; sicut sol lux mundi, ut homines suo lumine fruantur, extingui non potest. Sed est hæretica expositio quæ hanc demonstrationem refel- Ecclesia visibilis.  
 lere

Gul. Fulco  
de success.  
ecclesiast.  
cap. 2.

lere conatur. *Ecclesia* (inquiunt) *est lux mundi: sed non est satis esse lucem ut videatur: neque enim lapis solem videt. At mundus impiorum non magis cernit quam lapis, nisi oculos aperiat gratia. Ecclesia ergo, ubicunque sit lux mundi, non nisi pijs & electis suis est visibilis.* Responde. *Ecclesia est lux mundi per participationem, sicut Christus erat lux mundi per se & suam plenitudinem. Sicut ergo Christus ut pro vero Filio Dei agnosceretur, non nisi oculis fidei videri potuit, sed ut homo in terris conuersatus tam ab impijs Iudeis quam à pijs cernebatur: sic Ecclesia ut pro vera Christi sponsa & columna veritatis ac matre fidelium agnoscat, non nisi oculis fidei videtur; sed ut est hominum collecta congregatio per totum orbem diffusa Christi nomen profitentium, eatenus non à credentibus tantum, sed & ab incredulis & impijs cernitur: ab his ut ad fidem & veritatis cognitionem perueniant; ab illis ut infana fide nutriantur ac conseruentur. Rursum*

Matth. 18.

Ioan. 8. 15.

impious est qui non audit Ecclesiã, & pro ethnico ac publicano habendus. Sed quomodo ille audire eam potuit, qui eam videre non potuit? At verò quemadmodum Christus dixit, *Et viderunt me & oderunt me & patrem meum*, sic impij siue ethnici, siue hæretici, siue mali Catholici, qui audire Ecclesiam & eius disciplinæ subiacere nolunt, & vident Ecclesiam, & oderunt eam?

*Non potest ciuitas abscondi super montem posita.* Hæc verba quantum valeant ad Ecclesiam Christi visibilem & illustrem demonstrandam, & quoties S. Augustinus contra Donatistas in eum sensum illa tractauerit, in Prompt. Cath. Dom. 24. post Pentec. circa finem accuratè tractauimus, ideoque nihil hic repetimus. Sed vni adhuc hæreticæ corruptioni occurrendum est. *Ciuitas* (inquiunt)

Fulco  
ibidem.

super

super montem posita non Ecclesiam, ut alicubi Augustinus, sed Ecclesiae Pastores, ut Chrysostomus, alijque sanius interpretantur, designat: quorum vita suis in exemplum proposita non magis latere potest oculos discipulorum, quam ciuitas super montem sita eos qui circumquaque in propinquo habitant. Ceterum qui Pastores Ecclesiarum hic intelligit, populum credentem necessario includit. Non enim sunt Pastores sine plebibus, vnde D. Cyprianus Ecclesiam definiuit esse, gregem Pastoris suo adunatum. Et igitur Ecclesia tota ciuitas super montem posita, collectio fidelium super Christum aedificata; sed in ea ciuitate magis eminent & conspicui sunt pastores, tanquam turres & propugnacula eius. Et horum quidem vita credentes latere non potest; sed ideo non laet vita, quia personae conspicuae sunt, & huiusmodi quae latere nequeant. Vitae & probitatis lucem urgent haeretici, personarum lucem agnoscere nolunt. Sed vtrumque sic docet Christus, ut ex personarum claritate, vitae honestissimae lucem inferat; & ideo lucere iubeat eorum opera, quia tanquam ciuitas sunt in monte posita quae abscondi non potest, videlicet propter statum & officij altitudinem quam tenet. Valet igitur optime frequentissima Augustini disputatio, Ecclesiam Christi semper esse mundo visibilem & conspicuam, sicuti & Christi nomen erit; quia in hoc altissimo monte, qui Christus est, positi sunt, id est, illius locum & auctoritatem tenent, eius legati ac ministri sunt, eius personam referunt, & potestatem exercent.

(..)